

tu imperii temporalis annexi. Simoniacum quoque est emere vota electorum ad ejusmodi dignitatem parata pecunia, aut electores in suas partes trahere per promissiones pensionum, Beneficiorum, aut aliorum commodorum temporalium. *Fromageau.*

CASUS LXXVII. Petrus Religiosus cujusdam monasterii, cui plura annexa sunt Beneficia, quæ Religiosis presbyteris secundum ætatem obtenti presbyteratus conferri solebant, promisit, se soluturum debita, quæ quoddam horum Beneficiorum premabatur, hac conditione, si illud obtenturus esset; prout & assentientibus Abbate ac conventu obtinuit. An non simoniaca est hæc collatio?

ꝑ. Simoniaca est; & ab hac labe consensus Abbatis ac conventus Petrum nequaquam purgare poterit. *De Lamet.*

CASUS LXXVIII. Capitulum quoddam ecclesiæ collegiatæ oretenus declaravit, se in gremium suum ut privilegatos recepturum omnes filios eorum, qui centum imperiales ad reparandam ecclesiam contulerint, ita ut iisdem proventibus, distributionibus, privilegiis, ac juribus frui possint, quibus fruuntur jam incorporati. An hæc agendi ratio non est simoniaca?

ꝑ. Certum est, & Capitulum promittendo, & eos, qui centum imperiales pro incorporatione offerebant, simoniam commississe; ita ut Capitulum summas acceptas, & admissi omnes proventus perceptos restituere, ac in pia opera conferre teneantur. *De Lamet.*

CASUS LXXIX. Paulus permutaturus parochiam suam cum parochia Joannis, quam permutationem & Episcopus vehementer peroptat, imo & jubet, suspicionem capit, Joannem simoniacum, ac consequenter nulliter obtinuisse parochiam suam; id quod quidem ex rumore publico, convincenter tamen ac judicialiter probare non posset. An hoc non obstante tuta conscientia Paulus permutare potest?

ꝑ. Jussu Episcopi hæc permutatio fieri potest; instituenda tamen est, in Curia Romana cum declaratione suspicionis de Simonia. Curandum insuper est, ut provisionibus inseratur hæc clausula: *aut alio quovis modo vocet. Fromageau.*

CASUS LXXX. Seminarium quoddam cum non haberet ecclesiam propriam ad officia divina celebranda, a Capitulo Canonicorum ejusdem loci aliquam emere cogitavit, qua Canonici habentes ecclesiam noviter exstructam non amplius indigebant. Potestne absque Simonia fieri hæc emptio?

ꝑ. Iu

ꝑ. In hac emptione ac venditione nil reperitur, quod de se malum sit, aut quod sacris canonibus adversetur; hinc cum finis hujus emptionis sit cultus divinus, ac celebratio sacrorum mysteriorum in hac ecclesia perficiendorum, ea omnino vendi ac emi potest; dummodo interveniat autoritas Superioris. Cavendum tamen, ne ex eo, quod ecclesia & locus sacer sit, majori pretio vendatur, ac ipsa structura valet, abstrahendo a consecratione, maxime cum ex ipsa hac ratione consecrationis minoris æstimanda sit; quia non nisi ad peculiarem ac determinatum usum adhiberi potest. *Fromageau.*

NOTA. Valorem ecclesia non habet nisi quoad materialia applicabilia & vendibilia in commercio humano ad usus profanos. Cum ergo materialia ecclesiæ veteris a benefactoribus structæ ante eorum executionem eam venalitatem in commercio humano non habeant, vendi non possunt absque turpitudine reducibili ad quandam speciem Simonia.

CASUS LXXXI. Pinnius consanguineus fundatoris cujusdam capellæ, ejusdem redditus augere proponit, hac tamen conditione, ut ii, penes quos ad eam nominandi jus est, patronatum capellæ sibi cedant. An non vitiosum est hoc propositum?

ꝑ. Conventio isthæc simoniaca est: Episcopus tamen ipsi si concedere potest id, quod petit. Pro majori vero securitate recursus ad summum Pontificem suadet, cui exacte explicandæ erunt omnes circumstantiæ. *Fromageau.*

CASUS LXXXII. Sara Abbatissa resignatura Abbatiam suam pensionem petit, quæ tamen non ex redditibus Abbatia aliunde valde tenuibus, sed ex summa pecuniæ, quam resignataria in perpetuum data est monasterio, desummenda foret. An id absque Simonia fieri potest?

ꝑ. In casu resignationis nunquam potest constitui pensio, quæ ex Beneficii resignati bonis non sumatur. Tota hæc conventio est simoniaca; quia pro pecunia Beneficium daretur. *De Lamet.*

CASUS LXXXIII. Petrus Beneficium suum resignavit simoniace; conditiones vero resignationis Romæ non fuerunt acceptatæ. An hoc non obstante incurrit pœnas simoniacorum?

ꝑ. Non incurrit; resignatio est irrita, & perseverat adhuc esse titularis sui Beneficii, ut antea. *Fromageau.*

CASUS LXXXIV. Quoddam Capitulum retinet partem reddituum ex Beneficiis, ad quæ jus nominandi habet.

¶ Tuta conscientia non potest id facere, nec etiam potest obligare parochos ad canendas Canonorum loco horas canonicas; hinc qui sub tali conditione conferunt, vel acceptant Beneficia, incurrunt pœnas contra simoniacos in jure latas. *Fromageau.*

NOTA. Si talia Beneficia fuerunt olim incorporata Capitulo jam ante leges de Simonia juris ecclesiastici, cum assensu Episcopi possunt pensiones ab immemoriali tempore consuetæ continuari titulo reservationis. Vide *Casum* 28.

CASUS LXXXV. Alexius Clericus per sex annos Instructorem egit filiorum cujusdam nobilissimæ, ut in recompensationem Beneficium obtineat.

¶ Coram Deo Simoniæ reus est, & tenetur aut dimittere Beneficium, aut procurare novam provisionem, & absolutionem a censuris, quas incurrit. *Fromageau.*

NOTA. Hoc verum est, si competens salarium non accepit. Si autem hoc accepit, non est reus Simoniæ ob concomitantem spem beneficii ex propiori notitia Patroni de suis talentis.

CASUS LXXXVI. Titius Beneficii resignationem offert Mœvio hac conditione, ut resignatarius possessionem Beneficii non capiat ante certum tempus, ut interea resignans ejusdem redditus percipere possit. An non simoniaca est hæc resignatio?

¶ Est simoniaca: id enim nil aliud foret, quam pro re spirituali temporalem dare. Ad hæc quodvis pactum in re beneficiaria prohibetur. *Fromageau.*

CASUS LXXXVII. Krisius Abbas redditus Abbatiæ suæ locavit patri suo. An id licet?

¶ Si finis locationis fuerit, ut pater exinde lucrum percipiat, locatio isthæc simoniaca est: Abbas enim nec partem reddituum sui Beneficii donare potest alius consanguineorum suorum, nec etiam pensionem ad dies vitæ statuere. Verum si pater dudum factam locationem usque ad tempus stipulatum absolute continuare velit, reverentiæ filialis gratia Abbas potest connivere: interim tamen locationem renovare ipsi haud licet. *Fromageau.*

CASUS LXXXVIII. Crispus resignatarius mediante summa pecuniæ a resignante obtinuit licentiam capiendi possessionem resignati Beneficii. An id non est simoniacum?

¶ Est

¶ Est simoniacum; & solus Papa resignationem cum clausula, *retentis fructibus* permittere ac firmare potest. *Fromageau.*

CASUS LXXXIX. Titius permutavit Beneficium suum, & sub prætextu variarum reparationum in domum beneficiale factarum convenit cum conpermutante de solvenda sibi pecuniæ summa. An id citra Simoniam fieri potest?

¶ Permutatio hæc est simoniaca. Simoniaca pariter foret permutatio, si conpermutanti promittatur Beneficium aliud necdum vacans. *De Lamet.*

NOTA. Hæc Simonia tantum est juris ecclesiastici, & ideo dispensabilis per Episcopos saltem ultramontanos.

CASUS XC. In quadam ecclesia cathedrali viget peculiare statutum nunquam ex resignatis præbendis pensionem sibi retinendi. Ad constitutionem hanc eludendam Canonicus resignat Beneficium suum cum reservatione pensionis, addito pacto expresso vel tacito ante additionem Beneficii pensionem redimendi. An nulla intervenit Simonia?

¶ Resignatio hæc est simoniaca; & ille, qui hac ratione canonicatum obtinuit, si notabili autoritate nixus Simoniam non intervenire existimavit, tenetur restituere fructus perceptos necdum consumptos, & pro nova provisione ad Episcopum recurrere. Si vero ignorantia illius voluntaria fuit, agendum cum eo est tanquam cum vero simoniaco. *De Lamet.*

CASUS XCI. Titius parochus ob temporale commodum redundaturum in fratrem suum revocavit resignationem parochiæ factam a se in favorem cujusdam suorum nepotum. An commisit Simoniam?

¶ Nec Titius potuit revocare resignationem, nec nepos absque Simonia promittere pecuniam, ut facta in favorem suum resignatio denuo vigorem suum recuperaret. Uterque pœnas in simoniacos latas incurrit. *De Lamet.*

CASUS XCII. Sosimius parochus convenit cum quodam laico de resignatione parochiæ in favorem filii ipsius faciendæ, si pater solvat 50. florenos pro structura quadam in domo parochiali erecta. An id simoniacum?

¶ Parochus Simoniam commisit una cum laico, si hic dictam summam persolvit, nec enim ignorantia excusat. Filius, si conventionis hujus conscius ab Episcopo confirmationem petiit, pariter simoniæ reus est. Resignans & resignatarius

G g 2

tarius incapaces fu ut ad quævis Beneficia obtinenda, nisi Romæ rehabilitati fuerint. *De Lamet.*

NOTA. Simonia hæc denuo juris tantum ecclesiastici esse videtur, circa quam dispensare possunt Episcopi ultramontani.

CASUS XCIII. Clarius sollicitat pro optinendo Beneficio, cujus titularis in articulo mortis constitutus est. Num bene?

ꝛ. Id non licet, ne detur occasio Beneficiati mortem optandi, cui quis successurus est. Multo minus potest promitti servitium aut obsequium illi, qui alteri Beneficium procuraturus est etiam habili ac summe idoneo. Beneficio, quod tantum requirit, ille cæteris dignior habendus est, qui ob perfectam cantus scientiam magis promoturus est utilitatem ecclesiæ, in qua ejusmodi Beneficium vacat. *Fro-mageau.*

CASUS XCIV. Antherus Clericus provivus est Beneficio per resignationem alterius, qui ad illud jus non habebat; eo quod id per fraudem & Simoniam obtinuerit. An Antherus vere Titularis est?

ꝛ. Non est Titularis, nisi Romæ provisioni clausula inserta sit: *Quovis modo vacet.* Restituendum est Beneficium illi, qui ad id a collatore nominatus fuit; dummodo & ab isto non fuerit pravis artibus obtentum. Si nemo ad illud jus habet, tunc actualis ejus possessor illud resignare potest subiecto digno. *De Lamet.*

CASUS XCV. Chremes parochus vendit administrationem Sacramentorum, & depositiones mortuorum; ac pro testimoniis baptismatis, confirmationis, obitus &c. nimias exactiones facit. Peccatne?

ꝛ. Quoad primum reus est Simonia, & quidem juris divini. Quoad alterum peccatum avaritiæ ac veri furti committit: non enim licet parochi plus exigere, quam quod per constitutiones diocesanas & consuetudinem taxatum est. Sic pro attestato baptismatis &c. sine gravissimo peccato non potest recipere triginta crucigeros, ubi vi constitutionum aut consuetudinis solum duodecim aut quindecim solvendi forent. A confessario deneganda est ipsi absolutio, nisi injustas ejusmodi exactiones restituat. *De Lamet.*

CASUS XCVI. Cassalius obtento in Curia Romana Beneficio regulari cum clausula, *pro cupiente profiteri*, novitiatum ingreditur. Antequam autem ad professionem admitte-retur, petunt Religiosi, ut scripto declarat, se nec victum

nec

nec vestitum unquam a monasterio petiturum. An id fieri potest?

ꝛ. Aperta hic intervenit Simonia: Religiosi enim tribuunt Cassalio rem spiritualem, characterem scilicet religiosi Ordinis per professionem ea conditione, ut victus ac vestitus a monasterio petendi juri renunciaret, quod temporale est. *Fro-mageau.*

CASUS XCVII. Petrus pingue suum Beneficium cum Beneficio Pauli valde tenui permutare cogitat: varias autem Paulo condiciones adimplendas proponit. Licetne hoc?

ꝛ. Omnis permutatio, quæ sub conditione fit, Simoniam continet vel juris ecclesiastici vel divini; & juris divini quidem, cum in permutatione exigitur aliquod commodum temporale, ita ut sine illo permutatio non fieret. *De Lamet.*

CASUS XCVIII. Marianus presbyter a duobus compatronis promissum præsentationis ad parochiam oretenus jam obtinuit. Verum ut promotio ipsius sit honorificentior, & tertium lucraturus donis egit. An licite?

ꝛ. Manifestam commisit Simoniam: dedit enim temporale pro re pure spirituali, quod semper simoniacum est. Motivum quod habuit Marianus, ut scilicet præsentatio ipsius sit honorificentior eum non excusat: nam, licet duo compatroni vota sua ipsi promiserint, fieri tamen potuisset ut alteruter animam mutaret; & hinc dum votum tertii mediantibus donis lucrari studuit, per rem temporalem nominationem sui ad parochiam certam reddidit, quod absque Simonia fieri non potuit. C. B.

CASUS XCIX. Polianus presbyter durante vacatura Beneficii multis mirisque modis per varia servitia ac obsequia sibi devincere studuit amicum Patroni, ut sic suam commendaret notamque faceret habilitatem. An Simonia argui potest?

ꝛ. Distinguendum est: aut enim præcise intendit laudem suæ habilitatis, aut eam intendit eo fine, ut nominetur ad Beneficium. Si primum, juxta communem Doctorum sententiam non commisit Simoniam; quia ejusmodi laudatio de se est quid temporale, & consequenter dedit temporale pro temporali. Si secundum, tunc juxta eorundem Doctorum opinionem Simonia se reum constituit; quia laudem quærere ea intentione, ut nominetur ad Beneficium, idem est, ac dare temporale pro spirituali. C. B.